Adversus Omnes Haereses (Latin)

Pseudo-Tertullian (3rd century)

SermonIndex.net / Church Fathers

Adversus Omnes Haereses

V. Adversus Omnes Haereses

Quorum haereticorum, ut plura praeteream, pauca perstringam. taceo enim Iudaismi haereticos, Dositheum inquam Samaritanum, qui primus ausus est prophetas quasi non in spiritu sancto locutos repudiare, taceo Saducaeos, qui ex huius erroris radice surgentes ausi sunt ad hanc haeresim etiam resurrectionem carnis negare, praetermitto Pharisaeos, qui additamenta quaedam legi adstruendo a Iudaeis diuisi sunt, unde etiam hoc accipere ipsum quod habent nomen digni fuerunt, cum his etiam Herodianos, qui Christum Herodem esse dixerunt: ad eos me conuerto, qui ex euangelio haeretici esse uoluerunt. ex quibus est primus omnium Simon Magus. qui in Actis Apostolorum condignam meruit ab apostolo Petro iustamque sententiam. hic ausus est summam se dicere uirtutem, id est summum deum, mundum autem ab angelis suis institutum. ad daemonem se oberrantem, qui esset sapientia, descendisse quaerendum. apud Iudaeos se in phantasmate dei non passum, sed esse quasi passum. post hunc Menander <extitit.) discipulus ipsius, similiter magus, eadem dicens quae Simon ipse, [quicquid se Simon dixerat, \'hoc se Menander esse dicebat,] negans habere posse quemquam salutem, nisi in nomine suo baptizatus fuisset. secutus est post haec et Saturninus, et hic similiter dicens innoscibilem Virtutem, id est deum, in summis et infinitis illis partibus et in superioribus manere, longe autem distanter [et] ab hoc angelos inferiores mundum fecisse. et quia splendor quidam luminis desursum in inferioribus refulsisset, ad similitudinem illius luminis angelos hominem instituere curasse. hunc super terram iacuisse reptantem; cuius lumen illud, id est uirtutem illam superiorem, propter misericordiam scintillam *** saluam esse, cetera hominis perire; Christum in substantia corporis non fuisse et phantasmate tantum quasi passum fuisse; resurrectionem carnis nullo modo futuram esse. postea Basilides haereticus erupit. hic esse dicit summum deum, nomine Abraxan, ex quo mentem creatam, quam Graece VODV appellat: inde uerbum, ex illo prouidentiam, (ex prouidentia) uirtutem et sapientiam, ex ipsis inde principatus et potestates et!O angelos factos, deinde infinitas angelorum editiones et probolas; ab istis angelis trecentos sexaginta quinque caelos institutos et mundum in honorem Abraxae, cuius nomen hunc in se habeat numerum computatum. in ultimis quidem angelis, qui et hunc fecerunt mundum, nouissimum ponit Iudaeorum deum, id est deum legis et prophetarum, quem deum negat, sed angelum dicit; huic sortito obtigisse semen Abrahae, atque ideo hunc de terra Aegypti filios Israhel in terram Chanaan transtulisse; hunc turbu-

lentiorem prae ceteris angelis atque ideo et seditiones frequenter et bella concutere, sed et humanum sanguinem fundere; Christum autem, non ab hoc, qui fecerit mundum, sed ab illo Abraxa missum, uenisse in phantasmate, sine substantia carnis fuisse; hunc passum apud Iudaeos non esse, sed uice ipsius Simonem crucifixum esse; unde nec in eum credendum esse, qui sit crucifixus, ne quis confiteatur in Simonem credidisse. martyria negat esse facienda. carnis resurrectionem grauiter impugnat, negans salutem corporibus repromissam. alter haereticus Nicolaus emersit. hic de septem diaconibus, qui in Actis Apostolorum adlecti sunt, fuit. hic dicit tenebras in concupiscentia luminis et quidem foeda et obscoena fuisse; ex hac permixtione pudor est dicere quae foetida et inmunda. sunt et cetera obscoena. aeones enim refert quosdam turpitudinis natos et complexus et permixtiones execrabiles obscoenasque coniuncturas, et quaedam ex ipsis adhuc turpiora natos praeterea daemones et deos et spiritus septem, et alia satis sacrilega pariter et foeda, quae referre erubescimus et iam Praeterimus. satis est nobis, quod totam istam haeresim Nicolaitarum Apocalypsis domini grauissima sententiae auctoritate damnauit dicendo: hoc tenes, quia odisti doctrinam Nicolaitarum, quam et ego odi.

Accesserunt his haeretici etiam illi, qui Ophitae nuncupantur. nam serpentem magnificant in tantum, ut illum etiam ipsi Christo praeferant. \'ipse enim,\' inquiunt, \'scientiae nobis boni et mali originem dedit. huius animaduertens potentiam et maiestatem Moyses, inquiunt, aereum posuit serpentem, et quicumque ipsum aspexerunt, sanitatem consecuti sunt. ipse, aiunt, praeterea Christus in euangelio suo imitatur serpentis ipsius sacram potestatem dicendo: et sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.\' ipsum introducunt ad benedicenda eucharistia sua. sed tota istius erroris et scaena et doctrina inde fluxit: dicunt enim de illo summo primario Aeone complures alios Aeones extitisse inferiores, omnibus tamen istis Aeonem antestare, cuius sit nomen Ialdabaoth. hunc autem conceptum esse ex altero Aeone Aeonibus inferioribus permixto, seque postea cum in superiora uoluisset eniti, grauitate materiae permixta sibi non potuisse ad superna peruenire; in medietate relictum extendisse totum et fecisse sic caelum. Ialdabaoth tamen inferius descendisse et fecisse sibi filios septem; quem occlusisse superiora dilatatione, ut, quia angeli, quae superiora essent, scire non possent, ipsum solum deum putarent. uirtutes igitur illas et angelos inferiores hominem fecisse, et quia ab infirmioribus et mediocribus uirtutibus institutus esset, quasi uermem iacuisse reptantem; illum uero Aeonem, ex quo Ialdabaoth processisset, inuidia commotum scintillam quandam iacenti homini inmisisse, qua excitatus per prudentiam saperet et intellegere posset superiora. sic rursum Ialdabaoth istum in indignationem conuersum ex semetipso edidisse uirtutem et similitudinem serpentis, et hanc fuisse uirtutem in paradiso, id est istum fuisse serpentem, cui Eua quasi filio deo crediderat. \'decerpsit,\' inquiunt, de fructu arboris, atque ideo generi humano scientiam bonorum et malorum contribuit.\' Christum autem non in substantia carnis fuisse; salutem carnis sperandam omnino non esse. nec non etiam erupit alia quoque haeresis, quae dicitur Cainaeorum. et ipsi enim magnificant Cain, quasi ex quadam potenti uirtute conceptum, quae operata sit in ipso. nam Abel ex inferiore uirtute conceptum, procreatum et ideo inferiorem repertum, hi qui hoc adserunt, etiam ludam

proditorem defendunt, admirabilem illum et magnum esse memorantes propter utilitates, quas humano generi contulisse iactatur. quidam enim ipsorum gratiarum actionem Iudae propter hanc causam reddendam putant. \'animaduertens enim\', inquiunt, \'ludas, quod Christus uellet ueritatem subuertere, tradidit illum, ne subuerti ueritas posset.\' et alii sic contra disputant et dicunt: (quia potestates huius mundi nolebant pati Christum, ne humano generi per mortem ipsius salus pararetur, saluti consulens generis humani tradidit Christum, ut salus, quae impediebatur per uirtutes, quae obsistebant, ne pateretur Christus, impediri omnino non posset et ideo per passionem Christi non posset salus humani generis retardari. sed et illa haeresis processit, quae dicitur Sethoitarum. huius peruersitatis doctrina haec est: duos homines ab angelis constitutos, Cain et Abel. propter hos magnas inter angelos contentiones et discordias extitisse. ob hanc causam illam uirtutem, quae super omnes uirtutes esset, quam matrem pronuntiant, dum Abel interfectum diceret, uoluisse concipi et nasci hunc Seth loco Abelis, ut euacuarentur angeli illi. qui duos priores illos homines condidissent, dum hoc semen mundum oritur et nascitur. permixtiones enim dicunt angelorum et hominum iniquas fuisse, ob quam causam illam uirtutem, quam, sicut diximus, pronuntiant matrem, ad uindictam etiam cataclysmum inducere, ut et illud permixtionis semen tolleretur et hoc solum semen, quod esset purum, integrum custodiretur. sed enim illos, qui seminis illos prioris instituissent, occulte et latenter et ignorante illa matre uirtute cum illis octo animabus in arcam misisse etiam semen Cham. quo semen malitiae non periret, sed cum ceteris conseruatum et post cataclysmum terris redditum exemplo ceterorum excresceret et effunderetur et totum orbem et impleret et occuparet. de Christo autem sic sentiunt, ut dicant illum tantummodo Seth et pro ipso Seth Christum fuisse.

Carpocrates praeterea hanc tulit sectam: unam esse dicit uirtutem in superioribus principalem. ex hac prolatos angelos atque uirtutes, quos distantes longe a superioribus [uirtutum] mundum istum in inferioribus partibus condidisse; Christum non ex uirgine Maria natum, sed ex semine Ioseph hominem tantummodo genitum, sane prae ceteris iustitiae cultu, uitae integritate meliorem. hunc apud Iudaeos passum, solam animam ipsius in caelo receptam, eo quod et infirmior et robustior ceteris fuerit; ex quo colligi retenta animarum sola salute nullas corporis resurrectiones. post hunc Cerinthus haereticus erupit, similia docens. nam et ipse mundum institutum esse ab angelis dicit; Christum ex semine Ioseph natum proponit, hominem illum tantummodo sine diuinitate contendens, ipsam quoque legem ab angelis datam perhibens, Iudaeorum deum non dominum, sed angelum promens. huius successor Ebion fuit, Cerintho non in omni parte consentiens, quod a deo dicat mundum, non ab angelis factum. et quia scriptum sit: nemo discipulus super magistrum, nec seruus super dominum, *** legem esse proponit, scilicet ad excludendum euangelium et uindicandum Iudaismum.

Valentinus autem haereticus multas introduxit fabulas. has ego circumcidens breuiter expediam. introducit enim Pleroma et Aeones triginta; exponit autem hos per synzygias, id est coniugationes quasdam. nam dicit in primis esse Bython et Silentium, ex his processisse Mentem et Veritatem, ex quibus erupisse Verbum et Vitam, de quibus rursum creatum

Hominem et Ecclesiam. sed enim ex eis quoque processisse duodecim Aeonas; de Sermone autem et Vita Aeonas alios decem. hanc esse Aeonum triacontada, quae sit in Pleromate, ex ogdoade et decade ac duodecade. tricesimum autem Aeonem Bython illum uidere uoluisse et ad uidendum illum ausum esse in superiora conscendere, et quoniam ad magnitudinem ipsius uidendam capax non fuerit, in defectione fuisse et paene dissolutum esse, nisi, qui missus esset ad constabiliendum illum — ille, quem appellat Horon —, confirmasset illum dicto (Iao) pronuntiato. istum autem Aeonem in defectione factum, Achamoth. dicit in passionibus desiderii quibusdam fuisse et ex passionibus materias edidisse. \'expauit enim\', inquit, \'et extimuit et contristatus est et ex his passionibus concepit et edidit.\' [hinc fecit caelum et terram et mare et omnia, quaecumque sunt in eis.] ob quam causam omnia infirma esse et fragilia et caduca et mortalia, [quaecumque sunt ab ipso facta] quoniam quidem ipse fuerit de defectione conceptus atque prolatus. Horon tamen instituisse istum mundum ex his materiis, quas Achamoth uel pauendo uel timendo uel contristando uel f suadendo praestiterat. \'nam ex pauore\', inquit, \'tenebrae factae sunt, ex timore et ignorantia spiritus nequitiae et malignitatis, ex tristitia et lacrimis humida fontium, fluminum materia marisque.\' Christum autem missum ab illo propatore, qui est Bythos. hunc autem in substantia corporis nostri non fuisse, sed spiritale nescio quod corpus de caelo deferentem, quasi aquam per fistulam, sic per Mariam uirginem transmeasse, nihil inde uel accipientem uel mutuantem. resurrectionem huius carnis negat, sed alterius. legis et Ptolomaeus quaedam probat, quaedam improbat, id est omnia improbat, dum quaedam reprobat. euangelium habet etiam suum praeter haec nostra. post hunc extiterunt Ptolomaeus et Secundus haeretici, qui cum Valentino per omnia consentiunt, in illo solo differunt: nam cum Valentinus Aeonas tantum triginta finxisset, isti addiderunt alios complures; quatuor enim primum, deinde alios quatuor adgregauerunt. et quod dicit Valentinus Aeonem tricesimum excessisse de Pleromate, ut in defectionem, negant isti: non enim ex illa triacontada fuisse hunc, qui fuerit in defectione propter desiderium uidendi propatoris. extitit praeterea Heracleon alter haereticus, qui cum Valentino paria sentit, sed nouitate quadam pronuntiationis uult uideri alias sentire. introducit enim in primis illud fuisse quod. pronuntiat, et deinde ex illa monade duo, ac deinde reliquos Aeonas. deinde introducit totum Valentinum.

Non defuerunt post hoc Marcus quidam et Colarbasus, nouam haeresim ex Graecorum alphabeto componentes. negant enim ueritatem sine istis posse litteris inueniri, immo totam plenitudinem et perfectionem ueritatis in istis litteris esse dispositam. propter hanc enim causam Christum dixisse: ego sum A et Ω. denique <in> Iesum Christum descendisse, id est columbam in legum uenisse, quae Graeco nomine cum nepiotepoJ pronuntietur habere secum hunc numerum DCCCI. percurrunt isti Q, \\f, X, CP, Y, T, totum usque ad B, A et computant ogdoadas et decadas ita, afferre illorum omnes uanitates ut ineptum sit et otiosum. quod tamen non tantum iam uanum, sed etiam periculosum sit: alterum deum fingunt praeter creatorem. Christum in substantia negant carnis fuisse, negant carnis resurrectionem futuram.

Accedit his Cerdon quidam. hic introducit initia duo, id est duos deos, unum bonum et alterum saeuum, bonum superiorem, saeuum hunc mundi creatorem. hic prophetias et legem

repudiat, deo creatori renuntiat, superioris dei filium Christum uenisse tractat, hunc in substantia carnis negat, in phantasmate solo fuisse pronuntiat, nec omnino passum, sed quasi passum, nec ex uirgine natum, sed omnino nec natum. resurrectionem animae tantummodo probat, corporis negat, solum euangelium Lucae nec tamen totum recipit apostoli Pauli neque omnes neque totas epistolas sumit. Acta Apostolorum et Apocalypsim quasi falsa reicit. post hunc discipulus ipsius emersit, Marcion quidam nomine, Ponticus genere, episcopi filius, propter stuprum cuiusdam uirginis ab ecclesiae communicatione abiectus. hic ex occasione qua dictum sit: omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem malos, haeresim Cerdonis approbare conatus est (et) eadem dicere, quae ille superior haereticus ante dixerat. extitit post hunc Lucanus quidam nomine, Marcionis sectator atque discipulus. et hic per eadem uadens blasphemiae genera eadem docet, quae Marcion et Cerdon docuerant. post hos subsequitur Appelles, discipulus Marcionis, qui posteaquam in carnem suam lapsus est, a Marcione segregatus est. hic introducit unum deum (in) infinitis superioribus partibus. hunc potestates multas angelosque fecisse; propterea et aliam uirtutem, quam dicit, dominum dicit sed angelum ponit. (ab) hoc uult uideri mundum institutum ad imitationem mundi superioris, cui mundo permiscuisse paenitentiam, quia non illum tam perfecte fecisset quam ille superior mundus institutus fuisset. legem et prophetas repudiat. Christum neque in phantasmate dicit fuisse, sicut Marcion, neque in substantia ueri corporis, ut euangelium docet, sed in eo, quo de superioribus partibus descenderit, ipso descensu sideream sibi carnem et aeream contexuisse. hunc in resurrectione singulis quibusque elementis quae in descensu suo mutuatus fuisset in ascensu reddidisse, et sic dispersis quibusque corporis sui partibus in caelum spiritum tantum reddidisse. hic carnis resurrectionem negat; animarum solarum dicit salutem. solo utitur apostolo, sed Marcionis, id est non toto. habet praeterea priuatas, sed extraordinarias lectiones suas, quas appellant phanerosis, Philumenes cuiusdam puellae, quam quasi prophetissam sequitur. habet praeterea suos libros, quos inscripsit Syllogismorum, in quibus probare uult quod omnia, quaecumque Moyses de deo scripserit, uera non sint, sed falsa sint.

His haereticis omnibus accedit Tatianus quidam alter haereticus. hic Iustini Martyris discipulus fuit; post hunc diuersa sentire coepit. totus enim secundum Valentinum sapit, adiciens illud, quod Adam negat salutem consequi posse, quasi non, si rami salui fiunt, et radix salua sit accesserunt alii haeretici, qui dicuntur secundum Phrygas, sed horum non una doctrina est. sunt enim, qui kata Proclum dicantur, sunt alii. qui secundum Aeschinen pronuntiantur. hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem et suam: et communem quidem illam, qua in apostolis quidem dicant spiritum sanctum fuisse, paracletum non fuisse, et qua dicant paracletum plura in Montano dixisse quam Christum in euangelio protulisse, nec tantum plura, sed etiam meliora atque maiora. priuatam autem blasphemiam illi, qui sunt kata Aeschinen, hanc habent, qua adiciunt etiam hoc, uti dicant Christum ipsum esse filium et patrem.

Est praeterea his omnibus etiam Blastos accedens, qui latenter Iudaismum uult introducere. pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIUI mensis *. quis autem nesciat, quoniam euangelica gratia euacuatur, si ad legem Chris-

tum redigis? accedit his Theodotus, haereticus Byzantius, qui posteaquam Christum, pro nomine adprehensus, negauit, in Christum blasphemare non destitit. doctrinam enim introduxit, qua Christum hominem tantummodo diceret, deum autem illum negaret, ex spiritu quidem sancto (conceptum et) natum ex uirgine, sed hominem solitarium atque nudum, nullo alio prae ceteris nisi sola iustitiae auctoritate. alter post hunc Theodotus haereticus erupit, qui et ipse introduxit alteram sectam: et ipse hominem Christum tantummodo dicit ex spiritu sancto (et) ex uirgine Maria conceptum pariter et natum, sed hunc inferiorem esse quam Melchisedech, eo quod dictum sit de Christo: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. nam illum Melchisedech praecipua ex gratia caelestem esse uirtutem, et quod agat Christus pro hominibus, deprecator et aduocatus ipsorum factus, Melchisedech facere pro caelestibus angelis atque uirtutibus. nam esse illum usque adeo Christo meliorem, ut apator sit, ametor sit, agenealogetus sit, cuius neque initium neque finis comprehensus sit aut comprehendi possit. sed post hos omnes etiam Praxeas quidam haeresim introduxit, quam Victorinus corroborare curauit. hic deum patrem omnipotentem Iesum Christum esse dicit; hunc, crucifixum passumque, contendit mortuum; praeterea se ipsum sibi sedere ad dexteram suam cum profana et sacrilega temeritate proponit.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***Quinti Septimi Florentis Tertulliani opera*** edited by Emil Kroymann (Vienna, Leipzig, F. Tempsky, G. Freytag: 1906) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 47), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.